



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quis sit Procurator, & quotuplex?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Necessarias petat, &c. quæ omnia & plura alia ex diversis juribus probant Civiles & Theologi, qui videri possunt, apud quos etiam videre est, quid agere debeat Advocatus, qui bonâ fide putans causam esse justam, à principio in se suscepit, si lite durante injusta postmodum appareat illi;

& quando ad restitutionem aliquam faciendam teneatur Advocatus, si causam prodidit, aut ob infirmitatem perdidit, & quem effectum, aut quam pœnam secum trahat contra interdiciam postulationem advocare.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

§. I.

Quis sit Procurator, & quomplex?

Procurator propriè dicitur, qui aliena negotia (tam judicialia quàm extrajudicialia) mandato Domini administrat, (per quod distinguitur à negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia agit, & ut distinguitur à Tutore, Curatore, &c. qui non Mandato Domini sed publicæ Legis aut Magistratûs vel Testatoris voluntate administrant) ita ut tam pro Reo quàm pro Actore Procurator intervenire possit) quamvis qui pro Reo intervenit, magis propriè defensor dicatur) modo mandatum Domini habeat ad causæ aut negotij ipsi commissi administrationem. Sunt quidem aliqui, qui in definitione dicant, *gratis administrat*, quia Procuratoris officium gratuitum est *l. item 15. Cod. h. e.* hodie tamen etiam pro certo salario Procuratores constituuntur.

Est autem Procurator alius universalis, sive generalis, qui omnium negotiorum speciali mandato non indigentium, administrationem dicto modo habet, Alius

specialis est, cui certam aliquam litem, negotium, aut rem administrandam commisit Dominus: ille nonnunquam constituitur adjectâ clausulâ: *Cum liberâ*: hoc est cum plena potestate agendi omnia prout Dominus potest, præterquam quòd donare non possit: alius dicitur Procurator dicitur, constitui in rem alienam, non tantùm, ut aliena negotia et Mandato Domini agat, sed ut omnis utilitas negotij gesti alii etiam cedat: alius dicitur, consti tui in rem suam, ad aliam quidem negotia agenda, ita tamen ut ipsi Procuratori cedat utilitas negotij gesti, quod fit, quando, Dominus Procuratori suo cessit, aut vendidit jura sua & actiones, quo in casu actiones directæ contra Debitores semper manent penes cedentem, cujus offibus, ut jura loquuntur, inhaerent, utiles verò actiones transferuntur in cessionarium, &c. Alius denique Procurator constituitur ad lites & judicialia, & judicialis dicitur, alius ad alia negotia extrajudicialia administranda, & extrajudicialis dicitur, qui in quibus differant, vide apud Auctorem Methodi hinc